Carmeli Aquensis L. 18. n. 24.



Sacre theologie magistri necnon sacri eloquij preconis celeberrimi fratris. Roberti de Liteo ordinis Minorum professoris opus quadragesimale perutilissimum quod de penitentia dictum est. Feliciter incipit.

Domina in Septuagesima De facilitate bonorum operum seu bene operandi propter quam peccatores ad penitentiam redire debent. Sermo. i.

Multi sunt vocati pauci vero electi. Habentur hec verba Math. xx. c. et in euangelio hodierno propter nimiam caritatem suam quam diligit deus rationalem creaturam non desinit vocitare miseros peccatores post lapsum atque rumam peccati vt ad eum redeant per penitentiam. Monet eos et expectat blande multifariam multisque modis attrahit et allicit illos vt non desperent sed currant confidenter ad fontem clemencie sue. Plerique vero negligunt renuuntque obedire voci eius suauissime existimantes opera bona in quibus penitentes exerceri oportet non solum difficilia et dura sed omnino impossibilia. Quo errore firmato in eorum mente licentiam in malo perseuerandi suscipiunt indiesque deteriores fiunt. Qua propter existimaui rem fructuosissimam facere si apuero quanta sit ad bene operandum recteque viuendum facilitas et suauitas. Vnde in hoc sermone ad excitanda corda dura peccatorum quos deus vocat vt per penitentiam electorum numero ascribantur de facilitate operum bonorum ero verba facturus quoniam sapientissimus mundi redemptor in themate iam proposito explicat manifeste tarditatem renitentium quibus salus esse non potest asserens multos fore vocatos electos vero paucos. Quia pauci sunt fortes animo ad virtutum opera aggrediendam. quibus facilitatem actuum virtuosorum ostendendam duxi maxime propter tria.

Primo propter causam originalem. Secundo propter adiutorium diuinale. Tercio propter premium eternale.

Quod facile est vnicuique operari bonum propter causam originalem que est hominis voluntas libera que non cogitur.

Capitulum. j.

Primo ostendo facile esse vnicuique operari bonum propter causam originalem. Nam si recte consideremus vnde est quod aliqui boni aliqui mali sint. nonnulli recte nonnulli vero perniciosissime viuant inueniemus profecto id prouenire ab vniuscuiusque libero arbitrio et spontanea voluntate. Hoc asserunt omnes sapientes siue philosophi siue sancti. Vnde. Aristoles. v. ethicorum. c. vij. ait. Iustum operari omne voluntarium est. Et in. iij. ethicorum capitulo. iij. Virtus voluntarium est et nihilominus et malicia voluntarium est. Et ibidem. Beatus inquit nullus nolens est. Et Seneca libro de moribus ait. Omne peccatum actio est voluntaria. Et idem ad Lucillum Valentior omni fortuna animus est et in vtramque partem ipse res suas ducit beatemque ac misere vite sibi causa est. Et salustius in iugurtino. Dux atque imperator vite mortalium animus est. Hinc aug. li. v.

GROSSHERZOGLICH HESSISCHE HOFBIBLIOTHEK

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-519/0001
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG